



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de

Lvgdvni, 1609

§. VII. de impedimento frigiditatis, furi[a]e, amentiaë & maleficij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

DE IMPEDIMENTO

frigiditatis, furie, amētia, & de maleficio.

§. VII.

IMPOTENTIA seu frigiditas perpetua impedit ac dirimit matrimonium: non tamen temporaria. Illa verò est *impotentia perpetua*, quæ sine miraculo, vel probabili periculo anime vel corporis, non potest tolli. Impotentia autem generandi, quæ reperitur in senibus, vel in sterilibus, non impedit. num. 59.

Peccat mort. qui credens se perpetuo impotentem, contrahit matrimonium, vel sponsalia, & contractus est nullus. Idem de contrahente ignoranter, & postea sublata ignorantia vititur matrimonio. ibidem. Possunt tamen conuiuere tanquam frater & soror. nu. 60. & cap. 3. nu. 5. lit. E. Nou. nu.

Qui potens contrahit scienter cum impotente, potest se ab illo separare etiam contra eius voluntatem, quia non est verum matrimonium: vnde non potest coire ad delectationem carnalem, poterunt tamen conuiuere tanquam frater & soror. nu. 60.

Et qui verè maritus est, & non potest

M m 4

semen

552 MATRIMON. X. §. VII.
femen effundere, licitè potest niti ad copulam. ibidem.

Impotentia naturalis perpetua oritur ex frigidityte, & ad hanc reducitur omnis alius naturæ defectus, aut excessus, aut arctio membri, quæ naturalem copulam impediunt. Impotentia autem accidentalisperpetua oritur ex causa accidentali, per maleficium seu fascinationem, ad quam etiam reducitur quodlibet accidentale, quod ex abscissione vel castratione, vel alio artificio oritur, quod vel copulam naturalem vel saltem copulam perfectam impedit: vtraque impotentia dirimit, si est perpetua & inhabilis ad copulam naturalem, vel perfectam. nu. 59.

Maleficium seu fascinationem alio maleficio dissoluere, aut rogare aliquem etiam paratum, vt dissoluat, est peccatum mortale. Licitum est tamen, modis licitis dissoluere maleficium, sicut exorcismis Ecclesiasticis. cap. 11. num. 29. Faciens verò maleficium per res sacras, peccat mort. nu. 32.

Furiosus vel amens, tempore suæ amentia non potest contrahere. cap. 22. numero 29.